

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



1658.

1. Beckman, Johann Volk: De casibus fortuitis.
2. Beckmann, Johann Volk: De evictionsibus.
3. Beckmann, Johann Volk: De libello
4. Beckmann, Johann Volk: De jure belli.
5. Beckman, Johann Volk: De donatione Constantini M-
ca C. 14 Distinct. 96.
6. Zacherus, Christophorus Heinricus: De regno.
7. Pommerus, Casparus: De legibus.
8. Richter, Christophorus Philippus: De prosepolepica
circa infligendas poenas.
9. Richter, Christophorus Philippus: De successione feudi.
10. Prætor, Christophorus Philippus: De injuriis
11. Rolfincius, Guernerus: Tractatum, quoad principia,
partes communes et proprias, differentias, causas
et symptomata, eundem curaticionem, officium et expo-
sitio^{ne} rit^{us}, nervis, ventilationi et dilucidationi proponit.

12. Schuidelins, Joannes: De ratione status. 22
13. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De jure et facti ignorantia. 23
14. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De investiturae materia. 24
15. Schroeter, Ernestus Fredericus: De dolo malo. 25
16. Schroeter, Ernestus Fredericus: De sententiis. 26
17. Stranchius, Johannes: Commentariorum ad L. Decretales Anthonianis Dissertationis I: De revisionibus in genere. ad l. 29. C. de pactis
18. Stranchius, Johannes: De acquisitionibus per nos, qui sunt in publicitate.
19. Stranchius, Johannes: De resolutione in specie villa.
20. Stranchius, Johannes: De usurariis.
21. Struve, Georg Adamus: De dolo et culpa a procuratore prestanda.

22^a Struvio, Georg Adamus: De usufructu. 2 Saep.

23^a Struvio, Georg Adamus: De interdicto unde vi,
quatenus usufructuarius ex eo restituitur. 2 Saep.

1688 & 1718.

24. Ungepaier, Proximus: De reconventionibus

25. Ungepaier, Proximus: De compensationibus stricte
dicta.



5799
DISPVATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE
DOLO ET CULPA
à Procuratore præstanda,

Oder:

Wie und wenn man sich an einem Procurator
oder Advocaten einer verlohrenen und vernachlässigten
Streit-Sache halber erholen könne.

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Illustrissimo ac Celsissimo Principe & Domino,

DN. BERNHARDO SENIORE,

Duce Saxonix, Julix, Clivix ac Montium, Landgravio Thuringix,
Marchione Misnix, Comite in Marcâ & Ravenspurg, Dy-
nastâ in Ravenstein &c.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO.

AVTORITATE ET DECRETO

Magnifici ac Nobilissimi Jctorum in illustri Salana Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. GEORG-ADAMO ~~Struben~~ /

Jcto & Antecessore hic loci longe celeberrime, Consiliario Saxonico
gravissimo, Curix provincialis & Scabinatus Adfessore spectatissimo, &c.

Patrone meo summo, Præceptore atque Promotore omnis honoris &
observantiæ cultu æternum devenerando

PRO LICENTIA,

Summos in Utroque JURE HONORES, Insignia ac Privilegia Do-
CTORALIA, rite & solenniter assumendi

Publico Eruditorum Examini ssto

PAVLVS Blumberg / SCHNEEBERGENSIS,

Die Julii Anno ACaDeMIæ IVbiLeo.

Loco & Horis ante- & pomeridianis consuetis

JENÆ, Recudit J. B. HELLERVS. 1721.

Deus annue ceptis.

THES. I.



X mandati contractu duplicem obligationem oriri, non est, qui non deprehendat, si vel *Titulum. I. ff. & C. mand.* oblique saltem inspexerit. Altera quidem primaria s. principalis, altera secundaria. Illa vires suas exerit contra procuratorem & mandatarium, qui ad exequendum id, quod mandatum inest, adstringuntur: Adeo, ut si vel dolus vel culpa eorum arguatur, ipsam luere non effugiant. *l. ii. C. mand.* Hæc ex diverso mandatore sive Dominum vincit ad refundendas impensas à procuratore bona fide factas &c. *l. si quis. 27. §. impendia 4. ff. mand.* Ne forte officium procuratori alias sit damnosum *contra legem 61. §. quod vero. 5. in med. ff. de furtis. l. 7. ff. Testamenta quemadmodum aper.*

Th. 2. Ex his apparet, nos versari circa contractum mandati, utpote ex quo obligationes istas fluere diximus. Est autem mandatum nihil aliud, quam contractus, quo rogante & committente aliquo, negotium, nomine ejus gerendum, quis gratis suscipit. Definiente Prænobilissimo Dn. Præsidi, Jcto solidissimo, Præceptore atque Promotore meo æternum sancte colendo, *in Exercit. ad Pand. thes. 3. per §. ult. I. mand. l. 1. princ. & §. ult. l. 18. ff. & l. 21. C. eodem.* Quibus non refragantur

A 2

ca,

ea, quæ habet *Donell. com. lib. 13. c. 10. refutatus ab Hillig. eod. l. adde Arnold. Vinn. in comment. Inst. princip. mand.*

Th. 3. Mandatum constituunt mandans & mandatarius sive procurator, de hoc sc. procuratore obligato, non de illo, mandatorem intelligo, nobis sermo est. Procurator enim principaliter & directo obligatus est; mandans vero (qui etiam Dominus negotii laudatur *L. 1. ff. de procurat.*) demum per consequentiam, *supra ib. 7.* Id tamen quid quantumque sit, itidem infra, si charta sufficiat, paucissimis subjiciemus.

Th. 4. Procuratorem & dolo & culpæ esse obnoxium, jam tum positum à nobis est. Procurator, etiam mandarii nomine veniens, quis sit; *Præcedens thes. 2. §. l. 1. ff. de Procurat.* docent: Nempe is, qui aliena negotia mandatu Domini administrat. Cum enim olim nemo alieno nomine lege agere poterat, *l. 123. de R. J. t. t. Inst. de iis per quos poss.* Nec semper tamen quilibet rebus suis superesse valeret, impeditus vel per morbum, ætatem, peregrinationem, imperitiam rerum & negotiorum imò nolint ipsi agere, & alia de causa conducatur, per alium potius, quam per semetipsum, ut lis suscipiatur, *vi legis 6. §. 2. ff. de his, qui not. infam.* Postea obtinuit & constitutum est, ut in qualibet causa (exceptis excipiendis) procurator admittendus sit. *l. 1. §. 2. ff. §. l. in pec. 26. C. de procurat.* *Add. Perezius prælect. ad Cod. tit. de Procur. Num. 2. Zæsius, comment. ad Pand. eod. t. n. 2.*

Th. 5. Procuratorum alius litibus, alius negotiis extra iudicium expedientis præficitur. Ille vel Domini, vel sui ipsius utilitatem querit atque intendit, de quo potissimum totus *T. ff. §. C. de Procurat. de hoc testatur tit. ff. §. C. §. Inst. mand.* Qui iterum atque iterum ratione ob-

jecti

jecti & suscepti officii modo hoc, modo illud nomen
meretur. *Vid. T. ff. & C. de Inst. act.*

Th. 6. Requiritur in Procuratore & mandatario,
ut mandato alterius agat & administret. *d. l. i. ff. de Pro-
curat.* Sive id præcedat sive consequatur, per ratihabi-
tionem scil. quæ retro trahitur, & confirmat ea, quæ ab
initio subsecuta sunt. *L. fin. Cod. ad SCtum Macedon. l. si
vero 12. §. ult. ff. de solut. l. hoc jure. 15. §. 2. de Reg. jur.* Id
quod tamen limitationes & restrictiones non respuit,
quas quoad administratorem in specie sic dictum con-
gessit *Donell. lib. 13. comm. c. 11.* Quod procuratorem ad
litem attinet, hoc magis dubium est. Nos in tantum
concedimus, quatenus sententia lata, & quæ acta sunt,
Domino contrariantur, ut tunc demum ratihaberi pos-
sint, non vero in præjudicium alterius, si faciant acta
pro Domino & utilitatem ejus respiciant: Licet excep-
tio falsi procuratoris per totam litem opposita non sit.
l. 24. C. de Procurat. Sic sentiunt Prænobiliss. Dn. Præses.
*in Exerc. ad Pand. 7. th. 27. Perecius c. l. num. 13. Zoes. d. Tit.
2. 17.* Quæ sententiam de jure nostro verior est, non
attento, quod contraria in Camera indistincte obtineat.
Teste Gail. lib. 1. obser. 47.

Th. 7. A mandato toto coelo differt consilium, ut-
pote, quod si fraudulentum non sit, haud est obligato-
rium: Etiam si non expediat ei, cui datur, quia li-
berum est cuiquam apud se explorare, an expediat sibi
consilium. *l. 2. §. 6. ff. mand. l. 2. ff. de prox. §. 6. Inst.
mand. l. 47. de R. J.* Quod etiam tunc verum esse puta-
mus, si per consilium quis inductus ad contrahendum,
qui alias contracturus non esset, *contra Gloss. & Wesenb.
Parat. T. mand. num. 6. Trent. volum. 1. Disp. 27. th. 5. lit. g.*

Quia adhuc ratio Imperatoris in *d. 6. Inst. l. 2. §. fin.* locum habet, quod liberum cuique sit, explorare apud se, an consilium sibi expediat, proinde sibi imputare debet, cur secutus illud fuerit. Sed hoc ta, nisi non nude persuadeat, sed vel personam e. gr. adjiciat, vel simile quid addat mandatum arguens, de quo Text. in *l. 6. §. 5. ff. & §. 6. in fin. Inst. mand.* Magnif. Dn. Ludvvel. in *Not. ad Wesenb. Tit. mand. num. 6.* Pranobilis. Dn. Præses in *Exercit. ad Pandect. thes. 22.* Patroni mei opt. max. Præceptores atque Promotores, æternum devenerandi. *Donellus lib. 13. comm. c. 10. Vult. ad §. 6 d. t.* Quibus non obstat *§. 4. d. l. 6. ff. mand.* quem pro se allegat Hilliger ad *Don. d. l.* dissentiens, in fine tamen per adjectam limitationem sese corrigens ver. Tu aperte &c. Ubi & elegans ac notatu digna exceptio de jure Lubecensi invenianda est. Plures casus, quibus Reg. data informatur, ponunt prælaudatus Dn. Præses *c. l.* Dn. Hahn. ad *Wesenb. tit. eodem. num. 6.* Inprimis Mævius ad *Jus Lubec. Zæsius comm. ad Pand. d. l. num. 6.*

Th. 8. Definitioni Procuratoris *ex d. l. 1. ff. mand.* adjiciendum est, ut gratis in se recipiat mandatum per *l. 1. §. ultim. ff. & §. penult. Instit. mand.* Ut diximus etiam supra *th. 2.* Honorarium tamen non respuit *l. 6. ff. d. tit.* modo convenienti tempora, & modo promissum vel datum sit, per ea quæ habet *Don. c. l. Salarium etiam Procuratori potest constitui per l. 7. ff. mand.* Hodie vero Procuratores in judiciis licite petunt & exigunt honorarium vel salarium. Tradente *Gail. lib. 1. obs. 44.*

Th. 9. Proxime docuimus, Procuratorem ad omne damnum dolo & culpa sua datum resarciendum tenere

teneri ; Hinc quid dolus , quid , quotuplex culpa ,
necesse est , ut eruatur.

Th. 10. Dolus pro ratione & diversitate casuum
& circumstantiarum in LL. & à Doct. varie accipitur &
definitur. Hic cum Ampliff. Dn. Præside in *Exerc. 19. ad
Pand. th. 14. adstruo.* Dolum esse , quando ex proæresi
& proposito , data opera , s. sciens volensque quis alterum
fallit , aut damnum ei infert. Cui non repugnat
Ulpianus in l. 1. §. 2. in fin. ff. de dolo malo. Martian. in l. 11.
§. 2. ff. de pœnis. Ex qua definitione in fine constat , do-
lum malum nos intelligere ; Doli enim vocabulo abso-
lute posito , malus subintelligitur l. 1. l. 2. C. de dol. mal. l. 23.
de R. J. Datur & alias dolus bonus , qui admittendus
l. 1. §. 3. ff. de dol. mal.

Th. 11. Culpa in late sua significatione compre-
hendit & omnem fraudem & machinationem & ver-
sutiam & malitiam , & imperitiam & negligentiam , per
§. ex diverso 31 in fin. Inst. de R. D. l. 7. §. 12. in fin. ff. de
A. R. D. l. 226. ff. de V. S. Gædd. in comm. ad tit. de V. S. in
de l. 226. Quæ tamen à dolo tota sua natura proprie di-
stingvitur : Doli enim natura exigit propositum maliti-
osum , præced. th. Culpa autem proprie dicta nihil aliud
est , quam omissio diligentia debita. l. 233. d. l. 226. ff. de
V. S. Sive , est negligentia , imprudentia ac imperitia ,
quando videl. quis negligit & ignorat ea , quæ scire &
observare debuisset. d. text. I. l. 213. §. 2. de V. S. l. 72. ff.
pro socio. arg. l. 50. de R. J. §. item is cui. §. propterea. Inst.
quib. mod. re contrab. obligatio. Prænobilitis. Dn. Præses
d. l. th. 15. Dn. Hahn. d. tract. part. 2. pag. 333. n. 4. Gædd.
ad l. 213. §. 2. de V. S.

Th. 12. Culpam esse omissionem &c. intimavimus.

Ex

Ex hoc colligitur, omnem culpam consistere in defectu debite diligentie, quoad actum & causam suam remotam. Nam quoad actum & causam suam proximam alia in faciendo, id quod fieri non debebat. Altera in omittendo proxime, cum negligimus id, quod fieri necesse est, fundatur. *l. 121. de R. J. l. 36. l. 50. eodem. l. 91. de V. O. l. 6. §. 12. ff. de neg. gest. vel, si ignoramus, quod scire nobis incumbit. Imperitia enim culpæ adnumeratur in l. 131. de R. J. l. 7. §. ult. ff. ad L. A. & Arist. lib. 5. Ethic. c. 10.* Quæcunque, inquiring, itaque scire possumus & tenemus etiam scire, ea, si ignoramus, utique excusari non possumus.

Th. 13. Ex his fluit ipsa culpæ distinctio. Cum enim culpa sit diligentie debite neglectus, ipsi quasi opposita, hinc sicut diligentia certos admittit gradus, Excellentiorum scilicet Remissiorum & Remissum; ita etiam est contrario culpa alia est ommissio diligentie Excellentioris & summa, alia Remissioris, alia denique in Remisso gradu debite, quæ alias à Doct. Lata, Levis & Levissima vendicatur. Et hæc partitio temere rejicienda non est, quippe quæ legibus nostris non tantum maxime conformis. *L. 32 ff. de pos. l. 54. §. 2. de A. R. D. l. 14. de pign. act. l. 18. ff. de commodat. l. 25. §. penult. ff. locat.* Sed etiam communi Doctorum calculo approbata, non obstante, quod inique quidam dissentiant, varias culpæ species & gradus effingentes. Ut Bart. *in l. 32. ff. de pos. Giphaz. in comm. de divis. jur. num. 86.* Del Rio *in l. 23. de R. J. Donell. lib. 16. c. 7.* Quorum errorem ex parte monstrant Prænobilibs. Dn. Præses. *de Exerc. 19. th. 19.* Philipp. Matth. *in d. l. 23. de R. J. Bocerus & alii* quæ omnia hic expedire, nostri non est instituti.

Th. 14.

Th. 14. Secundum hos diversos culpæ gradus, diversæ etiam sunt præstationes in Contractibus: Quidam tantum latam, (quæ plerumque sub dolo comprehenditur, ac ipsi comparatur, quoad reparationem quidem damni, licet non semper quoad irrogationem pœnæ. *l. 29. princ. mand. l. 32. ff. depos. l. 7. §. de susp. Tutor. l. 5. §. 15. ut in poss. legat. Et l. 226. de V. S.*) Quidam levem, quidam plane levissimam culpam exigunt atque desiderant, per *R. Gem. in l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 23. de R. J.*

Th. 15. Ad rem ut deveniamus, asserimus: A quocunque Procuratore (excipe in rem suam datum) & dolum & culpam etiam levissimam præstandam indeque damnnum datum, omne redintegrandum esse, præter casum fortuitum in re contingentem. Id quod modis omnibus defendimus.

Th. 16. Quod dolum attinet, de eo vix dubium esse potest, cum is in omnibus contractibus, exulare, & admissus præstari debeat. *d. l. 5. §. 2. commodat. l. 33. de R. J.* Imo nec conventionem, quæ alias contractui legem dat atque præscribit, *l. 24. in fin. ff. depos. remitti queat. l. 27. §. 3. ff. de pact. l. 17. pr. ff. commodat.* Cujus ratio est; quod pacta, quæ turpem causam fovent, non sint observanda nec obligatoria. Veluti si paciscar, ne furtiagam vel injuriarum, si feceris. Expedi enim timere furti vel injuriarum pœnam: Licet post ea admissa & sic etiam post dolum commissum, ne agatur, pacisci possumus. Informante Paulo in *d. l. 27. §. 4. ff. de pact.* Atque id contractus hic mandati cum cæteris communem habet.

Th. 17. Distingui tamen solet inter DOLUM Dantem Causam contractui *l. 7. princ. de dol. mal.*

B

l. 3.

l. 3. in fin. pro soc. l. 16. de Minor. & Incidentem l. 22. in fin.
l. 36. ff. de V. O. seu ex Re ipsa venientem. l. si quis cum
aliter in fin. l. 2. §. circa & seq. de dol. mal. met. except.
Atque differentia hac in re intercedit inter CONTRA-
CTUS Bonæ fidei & stricti JURIS. Licet in arbitrio ejus,
qui deceptus est, sit, indistincte ob quemlibet dolum
actionem ex contractu uti, & ob illatum damnum in-
teresse petere. Si quis exactius & fusius hanc contro-
versiam deductam desiderat, adeat Prænobilissimum
Dn. Præsidentem in sæpius laudatis *Exerc. ad Pand. Exerc.*
8. thes. 26. & plur. seqq. Dn. Hahn. in *Not. ad Wesenb.*
parat. tit. de dol. mal. p. 330. 331. 332. Magnif. Dn. Carp-
zov. *part. 2. const. 34. def. 9. num. 3. & 4.* Arnold. Vin-
nium *lib. 1. select. quest. c. 12.* Arumæum *Disp. ad Pand.*
6. th. 13. Zæsium in *comm. ad ff. tit. de dol. mal. num. 3.*
4 5. & seqq. Perezium late in *pralect. ad Cod. de tit. num.*
5. 6. 7. & seq.

Th. 18. Non solum dolosus Procurator damnum
restituere necesse habet, sed & insuper condemnatus fit
infamis. l. 1. ff. de his, qui not. infam. Inde fit, ut nec
tali doli vel perfidiæ accusato juramentum à parte de-
ferri possit; Licet intenta tantum restitutione illi locus
sit, uti, propter metum perjurii, qui subest, commu-
niter concludunt interpretes. Aliter res comparata
est, si gravatus suspicionibus à judice deferatur, juramen-
tum purgationis. *arg. c. ult. x. de jurejur.*

Th. 19. De culpa si quaestio instituat, an nostra
de ea assertio fundata sit; En remittimus nos, quod LA-
TAM quidem spectat, *ad th. 13. & 14.* Ubi, sicut dolum,
italatam quoque culpam, quam semper fere inesse dici-
mus, in omni conventionem præstandam esse, satis lu-
cu-

culenter constabit. Quo ad LEVEM vero & levisimam, res difficultate non caret. Pro stabilienda vero nostra thesi arripimus 1. Textus sole meridiano clariores atque expressos in *l. Procuratorem 11. l. à procuratore 13. l. in re mandata 21. C. mand. arg. §. 1. Instit. de oblig. que ex qua si contract. nascuntur*, adeo, ut aliter statui non possit. Ex his enim argumentamur hunc in modum : In quocunque contractu omnis culpa præter casum fortuitum præstanda omniaque exacto officio gerenda sunt ; nec quicquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpa vacuum est : In hoc sanè & Levem & levisimam culpam venire necesse est. Sed in nostro casu prius est verum per adductos textus, quorum verbis usi sumus. E. & posterius. Consequentia majoris sufficienter probatur per id, quod qui omne dicit, nihil excludat *l. 27. §. de auro & argent. legat.* Nec quicquam excipiatur, quam casus fortuitus. Exceptio autem confirmat regulam in contrarium per *text. eleg. in l. 12. §. 43. ff. de inst. & instrum. Legat.* Aliena proinde negotia, regulariter exactissima diligentia & officio indigent per *d. l. 21. Cod. mand. & d. §. 1. inst. de oblig. que ex quasi cont. nasc.* E. & hic. Et suadet hoc præprimis fides ex amicitia data, mandatum enim originem ex officio & amicitia trahit per *l. 1. §. ult. ff. mand.* Hæc autem vult, ut amicos juverimus & quantum in nobis est, eorum substantiam conservemus salvam, ita, ut mandati violatio, violet duas res sanctissimas : Amicitiam & fidem : Et qui res mandatas non modo malitiose, sed & negligentius gesserit, admittit summum dedecus. Aut. Cic. divino illo Oraculo. in *Orat. pro Roscio.* Petrus Faber in *l. 23. de R. J. Hilliger ad Donell. libr. 13. comm. c. 11. fol. 1086.*

Quibus accedit spontanea illa susceptio officii alieni, quæ tacitam industriæ promissionem non potest non inducere. Et hoc defendunt Magnif. Dn. D. Ungepair *Exerc. Just. 12. quest. 8.* Prænobilissimus Dn. Præses in *Exerc. ad Pand. 22. thes. 10.* Promotores & Præceptores mei sancte habendi. Gail. *lib. 1. obs. 55. num. 4. 5.* qui hanc communem esse Doctorum sententiam attestatur, Magnif. Dn. D. Carpzov. *part. 2. const. const. 20. de fin. 11.* Magnif. Dn. D. Ludvvell. *not. ad Wesenb. t. mand.* Arnold Vinnius *select. quest. lib. 1. c. 52. & in comm. ad Instit. tit. de mand. §. und. num. 2.* Mozz. *de mand. num. 26.* Donell. *lib. 13. comm. c. 11.*

Th. 20. Huic dicam scribunt Zœsius *Comment. ad Pand. t. mand. num. 15. & 16.* Olemannus *Disp. 30. ad Institut. in Coroll. Philipp. Matth. Caballin. in tract. de eo quod interest.* Imo Perezius *prælect. ad Cod. tit. mand. Ab initio num. 9.* nostram defendens, in subseq. ad contrariam deflectens. Quorum tamen rationes tantæ non sunt, ut scopum, quem tendunt, petant.

Th. 21. Quid hic enim facere potest regula, ex *l. 5. §. 2. ff. mand.* quoniam mandatum solius mandantis utilitatem sicut depositum, promoveat, & plane nihil ad mandatarium redundet, cum sua natura mandatum gratuitum sit, contrariaque officio merces. *sep. dict. l. 1. §. 4.* Quoties autem hoc fiat, toties diligentiam fatem in remisso gradu adhibendam exposci. Quid illud, quod nemini officium suum debeat esse damnosum. *l. 61. §. 5. ff. de furtis. l. 7. ff. test. quemad. aperient.* Quod maxime hic fieret, si mandatarius gratis negotia aliena expediens, ad diligentiam excellentiorum obligatus esset contra æquitatem & rationem. Nec sane *L. X. princ.*

princ. ff. mand. suo fungitur officio, quod ipsi injungitur quasi Ulpianus a Procuratore solam bonam fidem, quam ipsi de dolo & culpa lata intelligendam esse dictitant, adeo, ut ab ea liberatus, ab omni obligatione solvendus sit, ex postulare. Et quid ad rem faciunt *l. 8. §. fin. l. 26. §. 2. ff. mand. l. 4. Cod. eodem.* Licet in illis simpliciter culpæ mentio fiat, quæ secundum communem Doctorum mentem ad Levem accommodanda sit, utpote frequentissimam. *l. 5. §. 2. com. §. 3. Institut. quibus mod. rei contrab. oblig.* quod minime adjuvat *l. 29. princ. & §. 4. ff. mand.* quæ culpæ tantum latæ locum relinquat in contractu hoc nostro, cujus in terminis versamur. Nec tutor sese iis jungit, quem de levi saltem conveniri posse certum est *ex l. 3. §. fin. ff. de susp. tutor.* Et tamen itidem ut Procurator aliena negotia atque res pupilli administrandas habeat. Imo in eo plane labuntur, quod textum in *l. 13. Cod. mand.* cujus vi & autoritate nos pro nostra stamus, de Procuratore ad litem interpretantur, vel secundum diversam conditionem contractus mandati. Ut e. gr. si gratuitum sit, & solius mandantis gratia, Latam, si verò & mandatarii causæ ineatur, levem vel levissimam culpam sibi contractus hicce vindicet.

Th. 22. Nobis non deest, quod ipsis responderi possit. Id quod *Ex. l. 5. §. 2. ff. commod.* ad oppugnandum sistitur, regulariter quidem verum est, sed exceptionem in mandato & per consequens in Procuratore patitur, quippe quod (sc. mandatum) exactissimam diligentiam exposcit, quo fit, ut nec mandatum cum deposito plane idem sit, sed diversissima eorum ratio. Mandatarius enim sive Procurator alienam administrationem

nem suscipiendo diligentiam suam polliceri videtur, cum sciat, amicorum negotia non nisi exacto officio geri, nec quicquam prætermisum culpa vacari. *d. l. 21. l. qui negot. ii. ff. de negot. gest.* Depositarius autem officio suo satisfecisse censetur, si rem recondat & custodiat, in quo singulari industria & cura opus non est. Magnif. Dn. D. Ludvvell. ex Duaren. ad hunc Tit. & Bocero *ad l. 23. de R. J. in not. ad Wesenb.*

Th. 23. Per se jam recidit: Quod officium suum nemini debeat esse damnosum. Nam qui periculum ultro in se suscipit, conqueri non debet, sed præstare oportet, quod conventum est. *l. 18. de Edil. edict. Donell. lib. 13. c. ii.* Quamvis etiam non tam officium, quam culpa potius mandatario damnosa sit. Et cur, qui se deposito obtulit, culpam levissimam præstat, nisi hac ipsa de causa, quod præ cæteris se offerendo de sua vigilantia & diligentia promittere videatur? Sic & alieno negotio gerendo immiscens, quod fieri sine industria exactissima non potest, nec debet, de hac ipsa industria & facultate profiteri & spondere intelligitur, qui sibi imputet, quod susceperit aliorum res procurandas, quod culpæ adscribitur, *in l. culpa est de R. J. Donell. d. lib. 14. com. 13. c. ii. num. 40.*

Th. 24. *L. 10. Princ. mand. destruunt ea, quæ habet Pacius cent. 4. quest. 8. Rittersh. ad l. 23. de R. J. c. 5.* Et Bocerus d. l. nempe bonam fidem in obligationibus b. f. qualis est mandatum latius patere, teneri enim ad id mandatarium, quod ex bona fide eum præstare oportet, i. e. ex bono & æquo. *l. 2. in fin. ff. de oblig. & Act. l. 53. mand. Itaque hac l. & in l. 10.* Bonam fidem præstare nihil aliud esse, quam adhibere diligentiam, de qua

de qua impendenda in ipso contractu fidem mandanti dedit. Contra bonam fidem enim facit, qui in amici negotio, quod expediendum suscipit, negligent existit.

Th. 25. Culpa absolute posita regulariter in LL. nostris LEVEM indigitari communis docet Doctorum Schola, sed non indeterminate. Si enim subjecta materia nonnunquam aliud suadet, recedendum ab ea est, ut hoc nostro casu, quo susceptum negotium summam diligentiam requirit, quod fufius jam tum ediximus. Adde Prænobilissimum Dn. Præsidentem in *Exerc. 19. ad P. P. th. 26.* Magnif. Dn. D. Ludvvell. d. l.

Th. 26. Ejusdem farinae & valoris sunt & coetera I. in opposito textu specialis casus, & negotium ejusmodi est, quod natura sua singularem aliquam industriam non requirat, & non nisi dolo, aut per dissolutam negligentiam in eo fides violetur, quale est, si fidejussor conventus sciens prætermisit exceptionem doli vel non numeratæ pecuniæ, si enim ignoravit, nihil est, quod ei imputetur. Item: si quis omiserit emere rem, quam facile potuerit emere. Duarenus & Rittersh. cit. lib. & loc. aliter Donell. c. lib. 13. com. c. 11. Tutoris præterea & mandatarii nulla est comparatio, quia Tutoris officium necessarium est, mandatarii voluntarium, ideoque merito mitius cum illo, quam cum hoc agendum ratio dicitur. Sicut in administratoribus rerum ad civitatem pertinentium idem obtinet per l. 6. ff. de *Administ. Rer. ad civit. pertin.* & Doctores communiter.

Th. 27. Inique torquent textum in l. 13. C. mand. ad litem vel eum cujus gratia mandatum solum sit in-
itum, cujus autor est Martianus vetus Glossan quem refert

refert Accursius in *l. 21. Cod. d. Tit. Dn. Hahn. ad Wesenb. par. d. tit. num. 10. p. 601.* Cum nulla solida diversitatis ratio dari possit inter Procuratorem ad Litem & Mandatarium, ubique enim fundamenta superius posita militant una cum Text. generaliter & indistincte loquentibus, nisi hodie Procuratores in curiis ad levem saltem culpam adstrictos concesseris, quippe qui sponte causam minime arripietes insuper primum capiunt.

Th. 28. Alterum quod afferunt, fundamentum in jure nostro plane non habet, & eo amplius mandatarii obligatio nulla est, cum sui tantum gratia mandatum intercedit, sibi enim & non alteri negotium gerit *l. 2. §. ult. ff. mand.* Imo Mandatarius, si de mutius praestationibus quaestio est, tantum ut aliena negotia gerens, considerari debet, ut fit in *l. 21. Cod. mand. & alibi.* Arnold. Vinnius in *locupletissimo Com. ad Inst. t. mand. §. 11. num. 2. circa fin.*

Th. 29. Hac ita in se vera sunt, attamen non perpetua. Dantur refugia, quibus adprehensis ab obligatione quis solvitur, sic tempestive mandatarius Domino renunciens (ita, ut integrum jus mandatori reservetur vel per se, vel per alium eandem rem commode explicandi) ab omni praestatione sese liberat. Item: Si quid accidat, quo minus commode renunciare potuit; similiter eximit mandatarium ab omni metu, per *l. 22. §. ult. & l. 23. cum seqq. l. 27. ff. §. antepen. instit. mand. Donell. d. lib. 13. Comm. c. 11.* Quo referendi & alii modi, quibus mandatum destruitur, & per consequens obligatio evacuat. De quibus vid. Mozz. *de mand. tit. quomodo annulletur &c.*

Th. 30. Pari ratione excluditur mandans ab actione

ne ejus mandatarium ad vindicandum damnum culpa levi vel levissima datum intentata, si aliud convenerit, per *l. scap. cit. §. 2. ff. commod. l. 23. de R. J.* Conventio enim lex est contractibus, *d. l. 24. ff. Depos.*

Th. 31. Hos præter casus omni ex culpa & dolo Procurator stringitur, sive committendo sive omittendo peccavit, ita, ut mandatoris intersit factum vel derelictum non esse. Sic qui mandatum plane non exsequitur, vel, quod idem, non ut oportet, a præstatione ejus, quod interest Domini, liber non est. Omnia enim bona fide, (præmissis quando mandatum indefinitum est) vel secundum præscriptum mandati formam per agenda veniunt, nisi doli vel culpæ reus accusari velit. *l. 35. ff. mand. l. 5. l. 9. l. 16. Cod. eod. l. 27. §. 2. ff. d. tit.* Potest tamen insuper Dominus actum contra mandatum dicere nullum. *l. 12. Cod. d. tit.*

Th. 32. Demonstravimus, dolum & culpam Procuratori damnosam esse. Itaque conveniendus non est, si casus acciderit, qui ipsi nequit imputari: per *d. l. 13. Cod. mand.* Casus enim fortuiti, qui nulla humana opera declinari nec prævideri possunt, in nullo bonæ fidei iudicio præstantur citra conventionem. *l. qui fortuitis 6. Cod. de pignor. l. 23. de R. J. l. 48. ff. mand. l. i. §. si convenerit. ff. depos.* Id, quod & hic observandum esse, non est qui dubitat, eadem præstant plures, quibus mandatum est, quanquam singuli in solidum teneantur per *l. 60. §. 2. ff. mand.*

Th. 33. Huc pertinet quæstio; Si in casu fortuito, ruina e. gr. incendio &c. res suas mandatarius salvas faciat, an adversus eum cum effectu actio mandati possit institui ob res mandantis illo casu consumtas, nec ex-

C

tra

tractas. Nos absolute affirmamus, quod culpæ adscribendum sit, *arg. l. 5. §. 4. ff. commod. l. 13. de peric. & adm. nist. tut. cap. 1. ext. commod.* Cum enim a mandatario exactissima diligentia adhibenda sit, certe illa adhibita non erit, si res alienas propriis postposuit. Non distinguimus, an res propria pretiosa sit, an non, per ea, quæ habet Prænobiliss. Dn. Præses Exercit. *ad PP. 19. thes. 8. Zoësius in com. ad PP. b. t. num. 12.* ab initio communem contrariam fovens, in fine nobiscum sentiens.

Th. 34. Sed culpam abfuisse vel adfuisse, cui probandum incumbat, quæstionis est? Et res commodiori via expedita non videtur, quam distinctis casibus, adeo, ut si juris præsumptio pro aliquo militet, culpa factum vel non factum esse, ipsi contra quam est præsumptio culpæ, onus probationis injungendum arbitremur. In furto e. gr. ex incendio, quod nec indistincte casibus fortuitis annumeramus: eleganter ea docent Dn. Hahn *ad Wesenb. Parat. part. 1. p. 137.* add. Perez. *in prælect. ad Cod. tit. de commod. num. 13.* Zoësius *in ff. eod. tit. num. 14.*

Th. 35. His iam consequens est, factum & negligentiam Procuratori cuivis nocere Domino mandatori, cui cum contra illum actio competat, necesse est, mandatori per procuratorem præjudicari: Id, quod expresse habetur *in l. 10. Cod. de Procur.* Hinc iudicati actio non datur in Procuratorem nisi vel sese obtulit liti, vel Procurator in rem suam sit, vel Domini heres, sed in ipsam Dominum, sicuti iudicati actionem sibi propriam habet. *l. 86. de solat. l. 61. l. 31. l. 28. l. 51. ff. de Procur. l. 4. ff. de re jud.* Nec facit, quod in Procuratorem sententia ferenda. *l. 1. Cod. de sent. & inter l. omnium judic.* Quod Jure Canonico & moribus mutatum, & in causis per Procura-

curatorem actis, etiam in ipsum Dominum sententia con-
cipitur. *cap. licet. ext. de probat.* Andreas Gail. *libr. 2. ob-*
serv. III.

Th. 36. Pariratione, si post latam sententiam in-
tra decennium leuterare vel appellare Procurator super-
federit, vel terminum probatorium præterlabi passus est,
Dominus tempore exclusus postea audiendus non est.
l. 1. §. ult. ff. Qu. appell. Magnif. Dn. Carpzov. *part. 1. const.*
1. def. 22. Nec distinguendum putamus, an dominus
sententiam latam esse sciverit, an verò ignoraverit? suf-
ficit enim Procuratoris scientia.

Th. 37. Institoria actione ex gesto administratoris
convenitur dominus mandator sive directa sive utili se-
cundum diversitatem personarum administrantium. Si-
cut enim commoda sentit ex actu administrantis institor
sit vel alius minister, sic & æquum visum est, obligari il-
lum ex contractibus eorum & conveniri. *l. 1. l. 15. §. 2. l. 5.*
§. 8. l. 19. prin. de Instit. act. l. 10. de R. I. Qui sibi impu-
ret damnum per institorem acceptum, cum eum propo-
suerit. *l. 7. §. pupillus ult. ff. d. e. de Inst. act. l. 23. ff. de mi-*
noribus. Exercitoria quoque actio non denegatur in do-
minum, præponentem Magistrum navis. *per l. 1. ff. de*
Exer. act.

Th. 38. Hæc omnia procedunt, si habeant manda-
tum, quod exhibent, & illud sive generale cum liberà ;
sive speciale : Sunt enim casus excepti, quibus hoc singu-
lariter requiritur mandatum, ut sunt solutionis acceptio,
l. 86. ff. de solut. Transactio *cap. 4. de Procurat. in 6. l. 60.*
ff. de Procur. Perezius *prelect. ad Cod. tit. de Procur. in 6.*

Th. 39. Prohibetur quoque Procurator mutu-
am pecuniam accipere sine speciali aliquo mandato.

l. 1. §. 1. fin. Cod. de Instit. proinde creditores sibi cavere debent, ne promiscue mutuo dent, credantque ministris, quoniam iis regressus ad dominum deinde non est dandus, nisi in rem eorum versum appareat. *d. l. 1.*

Th. 40. De Cambio quæritur, an præpositus negotiationi irrequisito domino possit contrahere & acceptare literas cambi? Quod nos negamus. Idem enim periculum subest & ratio, quæ in aliis speciale mandatum desiderantibus magnum videlicet præjudicium domino futurum: In quibus citra specialem concessionem aliquid admittere nefas est. Magn. Dn. Carpov. *part. 1. const. 17. def. 43.*

Th. 41. Dominus adversus negligentem Procuratorem habet quidem regressum ab omnem culpam ab eo commissam, cum, quæ per illum acta concessaque firma atque rata sint, imo ipsi domino præjudicent. *d. l. 20. Cod. de Procur.* Sed quæritur, quid tunc obtineat, si negligens Procurator solvendo non sit, ut restitutionem damni dominus ab eo consequi non valeat, an in defensus relinquendus, & locus adhuc regulæ sit, sibi imputet, magis idoneum, qui non elegit, an vero restitutio in integrum domino petenti largienda? Cum Prænobilissimo Dn. Præside in *Exerc. ad P. P. 7. th. 35.* Eam non admitto: *Arg. l. 13. §. fin. Cod. de judic.* His adjectis limitibus: Nisi i. adversarius notorie lucrum consecutus, idque cum injuria & damno alterius, tunc enim *argum. l. 206. de R. J.* quod nemo alterius detrimento & injuria locupletior fieri debeat, restituendus est. Quo & referimus *l. 1. §. ult. ff. qu. Appell. it. l. 3. §. 3. De eo per quem fact.* Ubi expressè hoc habetur in verbis: Ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & actor damno

mno afficiatur, ut semper ita juncta esse debeant & lucrum
& damnum. Si enim solum damnum quis passus, id
recuperet ab eo, qui damnum dedit; Hic si solven-
do non est, consulat Gajum in *l. 6. de dol. mal.* Termi-
num deinde ponimus nostræ huic assertioni, si adversa-
rius colluserit cum Procuratore. *l. 8. §. 1. ff. mand. l. 7. §.
9. ff. de dol. mal.* Quamquam contraria est communis &
in foro recepta, quod simpliciter in omnibus restitutio
locum sibi quarat ex eo, quod factum alienum nemini
damnosum esse debeat. De qua add. Gail. *lib. 1. obs. 45.*
& alios, qui eam defendunt.

Th. 42. Quid autem contra sentiendum, si domi-
nus solvendo esse desiêrit, ut propter ejus inopiam acti-
ones extraneorum ex contractu cum mandatario vel
Procuratore factæ contra eum sint inanes, an propterea
Procurator subjacebit obligationi? Hoc nullo modo
concedimus, siue durante siue finito officio intentetur
actio: ea enim tantum vim non habet, ut Procurator de
suo solvere & creditori satis facere cogatur. *l. fin. §. 2. de
administ. rer. ad civ. pertinent. l. 5. princ. qu. ex fact. tut.*

Th. 43. Id quod definitur ita, ut conveniri qui-
dem possit durante officio, sed in tantum, ut procuret
solutionem, vel id, quod in contractum nomine domi-
ni ductum est, & sic explicamus *l. 7. §. 11. ad Scrum Ma-
ced. l. 1. §. 17. ff. de Exerc. act.* Quæ itidem deposita ad-
ministratio plane expirat. Hinc recte reprehendit
Dn. Hahn. eos, qui negant in praxi observari contrarium.
in not. ad Wensleb. p. 553.

Th. 44. Definitur 2. si mandatarius vel Procura-
tor fidem suam adstrinxit pro domino, adeo, ut nomine
proprio obligatus esse velit, tunc extra officium suum

positus etiam de propriis solvet *l. 67. ff. d. procurat.* Magnif. Dn. Carpz. *part. 2. consl. 20. defin. 14.* Pranobilissimus Dn. Præses Exerc. *ad. PP. 20. th. 39.* Dn. Hahn. *c. l. Zœsius in comment. ad PP. tit. de Instit. act. n. 3. 4.* Perez. *prelect. ad Cod. cod. tit. num. 12.*

Th. 45. Satis ex prædictis patescit, Procuratoris maxime interesse, res mandatas ipsi esse salvas, & manere penes se illoctas, ob strictum hujus contractus vinculum, quo ad amplissimas præstationes devinctus est. Hoc suum itaque ob interesse non possunt non actiones Procuratori, præsto esse, quibus rem vel à domino, vel ab extraneo interversam, damnumque injuria acceptum vindicare & repetere possit. Has autem habet vel per se & suo jure, vel ex jure cesso. Illo modo furti agit & adversus dominum, si res ab eo furripiatur, in qua propter expensas jus retentionis constitutum habet, quia satius sit rei incumbere, quam actione personali agere. Contra extraneum vero tum ex hoc, tum ex illo principio, quod culpa sua res ablata restituenda ab ipso domino sit. *Arg. l. 14. §. 6. & 10. Et l. 11. ff. de furt. §. 14. de obl. que ex delict. nasc.* Dn. D. Tabor. *crimin. defin. Racemat. 2. th. 29.* It. vi bonorum raptorum actione consulere sibi potest *arg. §. 2. Instit. de vi bon. rapt. & aliis.* Ex jure cesso habet eas actiones, quæ soli domino propriè vel iis tantum, qui jus in re possident. Et hæc si opus Procuratori, qui & aliis, quibus jus saltem ad rem est, optimaratione ceduntur.

Th. 46. Affines Procuratoribus sunt negotiorum gestores, qui non minus Procuratorum nomine (in latissima tamen significatione) designantur *arg. l. 24. de neg. gest. l. 13. §. 12. de hered. pet. l. 58. de solut.* It. Defensores,

fores, quos ambos ad omne damnum excepto solo casu
fortuito itidem adstrictos esse scimus, ex §. 1. *Inst. de obl. qua
ex quasi contractu*, §. 2. *quib. mod. re contrab. obl. l. 24. Cod.
de usur.* Tutores, curatores & administratores rerum
ad civitatem pertinentium, proximè hic quoque accedunt,
sed ultrà levem culpam non gravantur, per ea quæ
suprà demonstravimus.

Th. 47. A Procuratore ad litem distinguitur ad-
vocatus, qui jus suggerit, & litem instruit, quanquam
sæpissimè & Advocatus & Procurator quis simul sit &
esse possit. *Gail. lib. 1. obs. 44. num. 8.* Præter levem ta-
men culpam nihil præstant. *Arg. l. 24. §. 1. Cod. de judic.*
Nec nocent etiam clientibus, absentibus quidem ea, quæ
Advocati confessi sunt vel proposuerunt, si error dete-
gatur. Præsentibus vero nisi in continenti h. e. intra
triduum proximum contradixerint effata causam perorantis
maxime obsunt *l. fin. Cod. de Error. Adv.* Tunc enim ea,
quæ Advocati præsentibus his, quorum causæ aguntur,
allegant, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis
litium proferantur, inquit Alexand. Imperat. *in l. 1. C. d. tit.*

Th. 48. E re quidem esset singula hæc exactius
ponderata fufius proponere. Verum instituti ratio ha-
benda est, ne præter intentionem nimis excurat, quod
coarctandum duxi. Fateor tumultuario stylo usum me
esse, quicquid autem sit, & temporis & chartæ angustiam
prætexo, quæ satis causam perorare valebit. Unde etiam
quæ de obligatione mandatoris secundaria meditatus eram,
omittere cogor. Itaque æqui bonique consule benevole Lector,
qui meliora de me D E O pro-
pitio expectabis; Cui sit gloria in secula sempiterna,
Amen. AD-

ADDITAMENTA.

I.

Mandans aq̄e ad diligentiam exactissimam obstrictus est ac mandatarius.

II.

Mandans interdum casum fortuitum in se suscipere necesse habet, qui mandatario & procuratori accidit.

III.

Mandatarius Dn. mandantem obligatum non habet ad ea probanda quae mandatum excedunt, ne negotiorum gestorum actione convenire potest.

IV.

Infamis de Jure Canonico & Ordinat. Cam. Procurator non est.

V.

Syndicus ead. praestat quae procurator.

VI.

Mercatorum libri rationum plenè non probant.

VII.

Sumptus majores Procuratori impendere licet, quamvis dominus minorem impensam fecisset si ipse gessisset.

VIII.

Mandatarius impendia repetit, non deducto ad finem negotio.

IX.

Imo tunc quoque, si res & negotium ex animo & voto non processit.

§ (o) §
§



Jena, Diss., 1658

ULB Halle

004 518 705




3

f

5b







2579.

DISPUTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE
DOLO ET CULPA

à Procuratore præstanda,

Oder:

Wie und wenn man sich an einem Procurator
oder Advocaten einer verlohrenen und vernachlässigten
Streit-Sache halber erholen könne.

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Illustrissimo ac Celsissimo Principe & Domino,

DN. BERNHARDO SENIORE,

Duce Saxonæ, Julix, Clivix ac Montium, Landgravio Thuringix,
Marchione Misnix, Comite in Marcâ & Ravenspurg, Dy-
nastâ in Ravenstein &c.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO.


AUTORITATE ET DECRETO

Magnifici ac Nobilissimi Jctorum in illustri Salana Ordinis

PRESIDE

VIRO

Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. GEORG-ADAMO  **Struben /**

Jcto & Antecessore hic loci longe celeberrime, Consiliario Saxonico
gravissimo, Curix provincialis & Scabinatus Adfessore spectatissimo, &c.

Patrôno meo summo, Præceptore atque Promotore omnis honoris &
observantiæ cultu æternum devenerando

PRO LICENTIA,

Summos in Utroque JURE HONORES, Insignia ac Privilegia DO-
CTORALIA, rite & solenniter assumendi

Publico Eruditorum Examini sÿsto

PAVLVS Blumberg / SCHNEEBERGENSIS,

Die Julii Anno ACADEMIÆ IVBILEO.

Loco & Horis ante - & pomeridianis consuetis

JENÆ, Recudit J. B. HELLERVS. 1721.